Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Obedientia

urn:nbn:de:bsz:31-102436

Visual Library

Deus rogãti mihi oraculũ nõ reddat. Nam Iouã ego opt. max. Iſraelitarũ cõſeruatorẽ iuro, ſi etiã Ionathã filius meus is fuerit, eũ eſſe capite pœnas daturũ. Vos totus populus conſiſtite iſtinc, ego & Ionathan cõſiſtemus altrinſecus. P. *Vt libet facito.* I. *Ioui Deus Iſraelitarum age ſeuerè. Ducantur ſortes. Atat, nos petit ſors: alter noſtrûm ſit oportet. Sortiamur.* S. *Oho Ionathan, ſors indicat te. Indica mihi quid nam feceris.* I. *Guſtaui paululũ mellis de capite huius baculi, quem in manu habebam: quod tu, inſciente me, fieri uetueras. Hoccine mihi capitale eſſe æquum eſt?* S. *Deum ego iuro, te moriturum, Ionathan.* PO. *Ergo morietur Ionathan, qui tam præclaram uictoriam pepererit Iſraelitis! Nequaquam, per Iouam immortalem: ne pilum quidem amittet, qui hodie Deum ſui facti adiutorem habuerit.*

SENTENTIA.

In hac uita unius peccatum luunt interdum multi: quia ſunt unum quaſi corpus, cuius membrorum omnium eſt tanta coniunctio atque cognatio, ut ſit eorum conſenſus tum dolorum, tum uoluptatum. Sed in altera uita, in qua punientur animæ, ſui quiſque, non alieni, peccati pœnas dabit.

OBEDIENTIA.

1. Reg. 15.

ARGVMENTVM.

Samuel Saulum reprehendit, qui Amalechitas clementius quàm Ioua præceperat, ultus fuerit.

Saulus, Samuel.

Ex parte bedire, nõ bedire eſt. cerat ille uidem parm, ſed non omnia.

IOuam tibi propitium precor.[a] Feci iuſſum Iouæ. SAM. Quem ergo balatum & mugitum audio? SAVL. Oues ſunt, & capræ, & boues, quæ ex Amalechitis abegimus. Nam ab horum pecorum optimis quibuſq; necandis abſtinuêre milites, ut Iouæ Deo tuo ſacrificiũ fieret. Reliqua funditùs excidimus. SAM. Licet ne mihi, quod bona tua uenia fiat, tibi ſignificare, quid mihi Ioua hac nocte dixerit? SA. Licet. SAM. Nónne cum uel te iudice paruus fueris, nunc princeps es tribuum Iſraelitarum, unctus à Ioua rex eorum? à quo cum in hanc expeditionem miſſus ſis, iuſſusq; ſceleratos Amalechitas excindere, & bello ad internecionem perſequi, cur ei dicto audiens non fuiſti? teq; ad prædã, uetante Ioua, conuertiſti? SAV. Imò Iouæ parui: expeditionemq;, ad quam ab eo ſummiſſus, confeci: & deletis Amalechitis, Agagum eorum regem abduxi. Tantum milites de manubijs pecora, bouesq; deuotorum primitias, deſumpſerunt, quæ Iouæ Deo tuo immolarentur apud Galgala. SAM. Quaſi uerò Iouæ tam placeant hoſtiæ & ſacrificia, quàm eius dicto audien-

tem

tem eſſe. Scito obedientiam præſtantiorem eſſe ſacrificio, & obtemperationem adipe arietum. Nam non parendi peccatum perinde eſt, ac magia: & contumacem eſſe eadem in culpa ponitur, ac ſimulacricolã eſſe: & [a] quia Iouæ mandatũ repudiaſti, ipſe te uiciſsim regno exiget. SAVL. *Peccaui, qui contra Iouæ iuſſum, contráque tua dicta uenerim, milites ueritus, eiſq́; obſequutus. Sed da mihi quæſo hãc ueniam, ut mecum reuertare, ut Iouam adorem.* SAM. *Nõ reuertar tecum, qui Iouæ mandatum aſpernatus ſis, & idcirco ab eo abdicatus regno Iſraelitarum. Vale.* SAV. *At non patiar te abire, ut non me comiteris.* SAM. *Quid me retines? ah rupiſti meum pallium: & Ioua hodie Iſraelitarum regnum à te abrumpit, idq́; alteri te meliori tradit. Neq; uerò fallet Iſraelitarum triumphator, neq; factũ mutabit: non enim homo eſt ut factum mutet.* SAV. *Fateor peccatum à me eſſe. Sed concede mihi hunc honorẽ apud ſenatores meorum popularium, apudq́; Iſraelitas, ut mecum redeas, Iouam Deum tuum adoraturo.* SAM. *Agè agè præi, ſequar.*

[a] Qui I[…] præcepta […] pudiant, […] eſt non ex[…] quuntur, […] Deo uic[…] ſim repu[…] tur.

SENTENTIA.

Nihil placet Deo, quod eius præcepto contrarium eſt, etiam ſi bono alioquin animo fiat. Debet enim homo Deo (ſicut ſeruus hero, aut filius patri) ſeruire, non ſuo, ſed illius arbitrio.